UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorvm Vita, Moribvs, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Cap. LXXII. Plvmbea Sectarionvmte la veritatis igne liquescunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

Visual Library

CAP. LXXII.

PLVMBEA SECTARIORVM TE-la veritatis igne liqueſcunt.

§. ET vt nulla hæreſis eſt, quæ Scripturæ perperam intellectæ velum ſibi non obtendat, ita & illi tum inde tum aliunde infucata argumenta deprompſerunt, quæ omnia vnica diſtinctiuncula inſtar fumi vel nebulæ diſſoluuntur: nam vel iis in publica oratione damnatur cantus vanitas, vel in priuata oratione vociferatio. Sed ne nobiſcum expoſtulent, quod inaudita cauſſa condemnati ſint, illos audiamus.

Cur Baalitas ſacrificulos Helias deriſerit.

§. *Helias Propheta* non ſine juſſione Sacerdotibus Baal dixit 3. *Reg.* 18. *v.* 27. *Clamate voce maiori, Deus n. eſt, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* Hoc argumentum falsò nititur fundamento: neq; enim illos deriſit Helias quod vociferati ſint, neque Scriptura eos clamaſſe dicit id temporis, ſed inuocaſſe nomen Baal de mane vſq; ad meridiem, poſt autem Heliæ deriſionem voce magna clamauerunt. Riſit ergo illos quod manifeſte falſumque Deum, qui exaudire non poterat, inuocarent, Deum, inquam, lapideum, opus manuum ſuarum, qui neque oculos, neque aures, neque manus, vel pedes haberent.

Pius clamor in cantu laudabilis ac Deo gratus. Exempla & voce & mente ad Deum clamantium.

§. Nam tantum abeſt vt clamor in diuinis laudib. ſine precibus, modò ad Dei gloriam fiat, vituperetur, vt etiam valde laudetur. Num vitio vertendum ludæorum principi, de quo *Num.* 12. *v.* 13. *clamauit Moyſes ad Dominum dicens: Deus obſecro ſana eam?* Num culpæ dandum populo Samuelem compellanti 1. *Reg.* 7. *v.* 8. *Ne ceſſes clamare pro nobis ad Dominum Deum noſtrum, vt ſaluet nos de manu Philiſthinorum?* aut ille deliquit de

quo

quo ibidem *v.* 9. *Et clamauit Samuel ad Dominum, & exauduit eum Dominus?* An criminosus *Dauid*, qui toties in Psalmis iterat, *Voce mea ad Dominum clamaui? qui & ait Psalm.* 21. *v.* 6. *Ad te clamauerunt Patres nostri & salui facti sunt.* Culpanda ne *mulier Chananæa*, quæ clamauit dicens: *Miserere mei fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur*, pro qua & discipuli rogabant dicentes. *Dimitte eam, quia clamat post nos? Matth.* 15. *ver.* 22. 23. An in crimen vocandi sunt duo illi cæci *Mat.* 20. *v.* 30. & 31. qui clamauerunt, *Domine miserere nostri fili Dauid*, & cum illos turba increparet, vt tacerent *multò magis clamabant dicentes, Domine miserere nostri fili Dauid?* nec irritus clamor: nam misertus eorum Iesus tetigit oculos eorum & confestim viderunt & secuti sunt eum.

§. Num & hac calumnia malitiaque suum impetent Saluatorem obtrectatores illi, qui ingenti clamore & sacratissimam suam passionem inchoauit & concluſit. Incepit clamore cruciatus pro nobis suos, vt testatur *S. Paulus Heb.* 5. *vers.* 7. *Qui in diebus carnis suæ* Christus *in* (passibilis & mortalis) *preces supplicationesq;* (in genua & *precibus* faciem prouolutus patrique supplex factus) *ad illum, clamauit. qui saluum eum posit facere à morte* (*rogabat enim, vt si fieri posit tranferretur ab eo calix*) *cum clamore valido & lachrymis offerens* (nam ob horrenda tormenta impendentia *cœpit contristari & mœstus esse. Marci* 14. *& cœpit pauere & tædere, & ait, Tristis est anima mea usq; ad mortem. Matth.* 26. *& in agone prolixius oranti factus est sudor eius tanquam guttæ sanguinis decurrentis in terram, Luc.* 22. *v.* 44. In tanto igitur angore constitutus, præ immenso dolore valde clamauit ad Deum, neque tantum fudit lachrymas, sed ex toto etiam corpore sanguinem) *Et exauditus est pro sua reuerentia*, quam & ipse habebat erga patrem & pater erga illum. *S. Chrysost. hom.* 8. *in epist. ad Heb. Tanta*, inquit, *erat eius reuerentia, vt etiam propterea eum reueretur Deus. Exauditus autem est: quia sibi aliisq; beatam im-*

mortalitatem meruit & obtinuit Psalm.20.v.5. Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum seculi. Igitur in horto clamore valido, siue vt habet translatio Syriaca, cum mugitu valido passioni suę initiũ dedit, & eodem similiter ei finem imposuit *Matth.27.ver. 46. Circa horam nonam clamauit Iesus voce magna dicens: Eli Eli lamma sabacthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me. Luc.23.v.46. Et clamans Iesus voce magna ait. Pater in manus tuas commendo spiritum meum, & hæc dicens exspirauit. Et S.Stephanus* in mortis articulo *positis genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum Act.7.v.60.*

Cœlestes spiritus in Dei laudib. clamorem edunt.

§. Annon & hujus pii clamoris exemplo & documento nobis sunt cœlites? *Isa.6.ver.3. Seraphim clamabant alter ad alterum Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus exercituũ, plena est ōnis terra gloria eius. Et cōmota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, &c. Apoc.7.v.10. Sancti clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.* Eant ergo calumniatores hæretici cum suo Baalitico clamore. Et nos hortante *Iuda Machabæo 1. lib.c.4.v.10. clamemus in cœlum & miserebitur nostri Dominus Si vox est, canta, si mens pia Numen adora. Et quacunq; potes dote placere, place.* Igitur vocis in cantu contentio, qua quis Deum etiam viribus vniuersis corporis laudare, alios ad Deum prædicandum amandumque excitare, prouocare, & inflammare nititur, laudabilis est ac Deo pergrata. *Theodorus de Apoldia in vita S.Dominici libr.3.c.12. Post completorium in Ecclesia permansit orans usq; ad nocturnas preces, quas & cum fratribus persoluens cantabat alacriter, & alta voce solebat etiam per vtramq; transire chori partem, voce iubilante monens & inuitans fratres, vt psalmodiam altè & distinctè deprome-rent.*

CAP.